DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-secundâ Januarii anni M. DCC. XXXIII.

M. OTTONE-CASIMIRO BARFEKNECHT, Doctore Medico, Præside.

An omne vivens ex ovo?

I.

OMNIA ex ovo fieri credidit antiquitas, non heroicis modò temporibus, sed & Philosophicis, etiam ante Aristotelem qui arboribus ova tribuit ex Empedocle, & insectis ovi speciem, & quadrupedibus fœturam ovi testâ exuti similem, ab Hippocrate edoctus, qui & in muliere abortiente ovum agnovit. Ovum est id omne ex cujus parte fœtura fit, ex alterâ alitur. Quæ definitio omnium viventium initiis convenit. Ovorum exemplar vulgatissimum, id quod est avium. Nec minus habentur ova, quæ sunt piscium & insectorum. Seminibus arborum omnibus inest plantula, multis pulpa; quâ nutriatur; omnibus folia primigenia, radiculis & cauliculo germinanti succum, quo turgent, refundentia: hæc autem omnia vel testis inclusa vel secundis, quid aliud sunt quam ovum? cùm præsertim arbores ex Aristotele utriusque sexûs symbolas habeant, vim scilicet masculam, fœmininamque materiam. Ova quis deneget piscibus squammosis, cartilagineis, testâ, putamine, corio molli, duro, tectis; nisi forte cetaceos excludat? nec minùs sua sunt cetaceis ova quàm cæteris piscibus, cùm eorum eadem sit conditio, quæ quadrupedum viviparorum, quibus nec ipse negavit Aristoteles.

II.

QUIS igitur neget de Homine? cujus primordia partesque, è quibus contexitur, iisdem planè quàm cæterorum animantium legibus tenentur: nec mirum, corpus hominis qui animâ rationis participe, reliquis animantibus tantummodò antecellit, iisdem ex elementis cum cæteris animantibus, similibúsque partibus integrantibus compositum, iisdem quoque mutationibus, iisdemque impulsionibus sivè ab alimentis sivè ab elementis oppositum sit, necesse est. Partes hæ in omni animantium genere solidæ sunt & fluidæ; utrarumque tum in homine, tum in brutis par nexus, consensus idem, & organa ad nutritionem & generationem

ſpectantia uſûs ratione ſimilia. Nec enim corpore perfectior eſt cæteris aut imperfectior: nil à ſummo artifice imperfectè aut conditum imperfectum; nullum ullo perfectius ad uſus proprios. Animalcula quæque minima in ſuo genere, ſuaque ſpecie perfecta ſunt, & ſi ſpectanda parvitas, videntur potiùs perfectiora, magis admiranda, digitoque divini artificis digniora, quò minora. Communis animantium omnium exitus, mors, eorumque diſſolutio ſivè interitus ab iiſdem planè cauſis pendens, prorsùs eſt eadem; atque ut partes ſimilibus initiis efformantur, ſic & in eadem reſolvuntur elementa.

III.

COMPOSITIONIS principia non ſunt ſemen maſculinum & ſanguis menſtruus, (hic quidem in mulieribus ſingulis circiter menſibus, quandiu ſanæ ſunt, & utero valent concipere, è ſinu muliebri prodit: ſed ad generationem & conceptionem per ſe inutilis & velut excrementum foràs ablegandus) nec utrinſque parentis genituræ in utero, ut in campo fertili atque fœcundo commixtæ. Nihil in utero cujuſcumque tandem generis fœmellarum primis à conceptione diebus reperitur: nec in eo licèt certò conceperint, ulla fœcundationis ſigna ſeſe offerunt. Semen quidem maſculinum, potiſſimùm in homine & quadrupedibus plerúmque uſque in uteri cavitatem penetrat; non tamen ut illic ſemini muliebri commiſceatur; nullum enim intùs ſemen ejaculantur fœmellæ, nihil è teſticulis in uterum tempore congreſsûs emittitur. In his vaſa ſemen deferentia & ejaculantia, virilibus reſpondentia fruſtrà quæſietis. Nec parùm differunt maſculini teſticuli à fœmininis: in illis enim glanduloſa & vaſculoſa ſunt organa, quorum tubuli ſpeciali diametro donati, copioſum ſincerumque ſemen ab alluente jugiter per arterias ſanguine ſecernunt; fœminini teſticuli nequaquam glanduloſi aut vaſculoſi è membranis & villis contexti, ſed multis veſiculis circumſcriptis & orbicularibus, & liquore turgidis toti conſtant. Liquor qui undique in vulvam tempore congreſsûs depluit, ſemen non eſt, in uterum non penetrat, nec à teſticulis prodit: at liquori qui è marium proſtatis dimanat ſimilis, & eidem in fœmellis uſui comparatus, è lacunis & glandulis conglomeratis vulvam undique & urethram ambientibus, in vulvam erumpit. Incaſsùm igitur prima conceptionis ſigna, primaque futuri fœtûs rudimenta in mulierum aut fœmellarum utero, vel alibì quam in earum teſticulis quæſieris. Paucis à conceptione diebus, una aut plures è teſtium bullulis ampliantur & erubeſcunt, tandemque grandiores factæ, teſticuli tunicam in eâ parte, quæ cujuſque bullulæ centro reſpondet, perforatam penetrant & velut fructus ab arbore maturi, decidunt. Hæ bullulæ non ſunt hydatides aut corpora inibi præter naturam genita; in omnium paſsìm fœmellarum quinimò & mulierum teſticulis reperiuntur: & quoniam eaſdem planè mutationes ſubeunt, quas veſiculæ in volatilium (quæ omnium conſenſu ex ovo producuntur & ea-propter ovipara dicuntur) racemo obſervatæ, & reliqua in his & illis organa generationis analoga ſunt & ſimilia, hæ veſiculæ non immeritò in utroque genere, oviparo ſcilicet & viviparo, ejuſdem planè indolis, ejuſdemque naturæ aſſeruntur

IV.

ORGANA generationi dicata in maribus paſſim omnibus bina ſunt corpora rotunda foris pendula aut ipſo abdomine aut abdominis tegumentis concluſa, paululum plana, ex vaſculis tenuiſſimis ſeminalibus dictis & inteſtinulorum more contortis conflata, à ſanguine ſemen per vaſa deferentia, proxime, aut in quibuſdam animalibus & in homine mediis veſiculis aſſervatum in urethram & inde in uterum coitûs tempore ejaculandum ſecernentia. Licet generationis organa fœmellarum ovipararum & vivipararum, non ſecùs ac marium

prorsùs analoga sint, reperianturque in utroque genere vagina, uterus, uteri tubæ, & vesiculæ orbiculares liquore turgidæ, nonnihil tamen inter hasce partes intercedit discriminis. Vesiculæ quippè in gallinâ & cæteris volatilibus, non continentur in binis corporibus, quæ eorum testiculi vocentur, nec binæ sunt ut in homine & quadrupedibus tubæ; quamvìs nihilominùs uterus in muliere non secùs ac volatilibus, simplex sit & indivisus; at unâ eâdemque membranâ in regione lumbari sitâ conclusæ & conglomeratæ, omnique vasorum genere laxè intertextæ veluti racemum constituunt, quem nonnuli superiorem avium uterum, rectiùs autem alii ovarium nominarunt. Licet hunc racemum ab ovo, ovarium nuncuparint; quæ tamen in eo continentur vesiculæ sine albumine & testâ deprehenduntur, nec idcircò eis ovi nomen denegandum. Harum enim quæ galli semine fœcundatæ sunt, jam in sese continent omnia, è quibus accedente incubatione, aut alio blando calore, fœtus numeris omnibus absolutus fingatur & efformetur. Quinimò tantùm abest, ut eis ovi nomen non concedamus, quin potiùs & ovi cicatriculæ sive oculo tribuamus, eamque omnem ovi indolem & naturam in sese complecti asseramus. Ovum quidem à gallinâ enixum constat cicatriculâ, vitello, chalazis, albumine, tunicis cuique liquori propriis, testâ, & aëre; verùm hæc præter unam cicatriculam de ovi naturâ non sunt; in eorum tantummodò animantium ovis reperiuntur, quæ intrà se, ea non fovent, & in quibus necesse est, non modò quæ ad fœtûs formationem requiruntur contineri, sed & omnia quæ ad ejus nutritionem donec testâ excludatur. Vitellus igitur & albumen uni fœtûs nutritioni, nullatenùs autem ejus formationi dicantur. Aër vicem elateris quo automatum motus perpetuantur, vicemque materni cordis sanguinem aut potiùs chylum in homine & quadrupedibus in placentæ radices impellentis gerens, sensìm vitellum & albumen comprimit & adigit in radices pulli umbilicales. Mutationes autem, quæ pulli formationem præcedunt aut concomitantur in unâ cicatriculâ observantur: Hæc enim cùm à gallinæ incubantis fotu ad pullulationem properat, dilatatur illicò & explicatur, in ipsâque tertio circiter incubationis die punctum sanguineum micans & saliens, principium cordis, deprehenditur, sequentibusque diebus ex colliquamento in quo anteà nulla aut exigua fœtûs vestigia, pedetentìm omnes pulli partes effinguntur. Vesiculæ igitur, quæ in volatilium racemo conspiciuntur, ratione cicatriculæ quam in superficie suâ inclusam continent, genuina sunt ova. Etsi verò volatilia potissimùmque gallina, quandoque sine mare ova pariant, subventanea & infœcunda, attamen in plerisque volatilibus vesiculæ in ovario conclusæ illìc inertes & otiosæ degunt, donec semine masculino aspersæ, excusso veluti veternò, & ut à blandiente sole mandata terræ semina intumescunt, & ab ovario superstite calyculo per oviductum in uterum albumine, & postmodùm in reliquo transitu testâ contegendæ, labuntur.

V.

CUM igitur liquidò constet cicatriculam, omnem ovi indolem in sese complecti, & omnes pati mutationes quæ ad pulli formationem spectant, quidni vesiculæ, quæ in muliere, & fœmellarum quadrupedum testiculis continentur, mole quantumvis exiguæ, quæ à maris semine non aliter quàm volatilium rubescunt, intumescunt, à testiculis per tubas in uterum decidunt, quidni, inquam, mulierum & quadrupedum habebuntur ova, testiculi earum ovaria, & uteri tubæ oviductus? Nec his vesiculis à testiculis seu ovariis decidentibus, ullatenùs obstat tubarum angustia & earum libera in abdomine fluctuatio; hæc utraque multò major est in volatilibus, in quibus ratum inconcussumque manet, vitellos ab ovario deciduos, ab oviductu suscipi & ope fibrarum quibus cingitur motricium, sensim

in uteri cavitatem protrudi. Longè major eſt proportio ovi muliebris aut quadrupedum ad uteri tubas, quàm in volatilibus vitelli ad oviductum. Oviductus in his ovario nuſquàm annexus, liberè in abdomine hùc illùcque fluctuat. In homine verò & quadrupedibus tubarum expanſio per unam aut alteram laciniam teſticulo connexa, parùm ab eo recedere ac divagari poteſt. Oviductus denique in pleriſque volatilibus undique indiviſus; in homine autem & quadrupedibus turbarum expanſio in varias hinc indè lacinias diviſa ac quodammodò lacera, longè faciliùs congreſsùs tempore, aut forſitan aliquot à conceptione, id eſt, ab ovi fœcundatione diebus, teſticulo applicari poteſt, eumque amplecti. Hincque fit ut in cadaverum ſectionibus quandoque ei præter naturam undique continua & connexa occurrat; obortis ſcilicet inflammatione vel ulcere, eo tempore quo tuba teſticulum ſeu ovarium amplectitur. Cùm itaque ovum ab ovario decidens, non niſi tubarum interventu in uteri cavitatem penetrare poſſit, quid mirum ſi quandoque * in homine conceptus, immò ſi quandoque fœtus teſticulis reperiatur adhærens? ut hìc Pariſiis obſervatum, in quo dentes, crines, & oculorum alter, non modò ſinè microſcopio videri; ſed & manibus contrectari poterant. Quid, inquam, mirandum, ſi non raro fœtus numeris omnibus abſolutus in abdomine aut uteri tubis reperiatur? ova enim ab ovario decidua in limine turbarum hærentia, atque hìc radices agentia, creſcunt in fœtus perfectos, atque proprio pondere excidunt dùm maturuere, & in abdominis cavo conſiſtunt, nunquàm ejicienda. Idem evenit mediis in tubis, ſi eatenùs tranſmiſſa locorum anguſtiis detineantur, nec perveniant ad uterum. Hujuſmodi tamen anguſtiæ etſi conceptioni præexiſtant, ovorum in teſticulis ſeu ovariis à maris genitura fœcundationi nullatenùs obſunt, ut dilucidè ex cuniculorum anatome evincitur; adeſt enim in earum tubis valvula eas occludens, & impediens ne quid ab utero ad ovarium penetrare poſſit. Sunt igitur mulierum & quadrupedum teſticuli earum ovaria, & ex eorum veſiculis ſeu ovis formari fœtum uſque adeò liquidum eſt, ut ex numeo calyculorum in teſticulis ſuperſtitum, certò conjicere liceat, quot fœtus fœmella utero geſtaverit, & quibus bipartitus eſt uterus, quot in uteri parte dextrâ, quot in ſiniſtrâ.

* *Hiſtoriæ Regiæ Scientiarum Academiæ, ann. 1690. p. 276.*

Ergò omne vivens ex ovo.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Thomas-Renatus Gaſnier.

M. Petrus Maloet, Conſiliarius & Medicus Regis ordinarius, nec-non Domûs Invalidorum Ducum & Militum, Academiæ Scientiarum Socius.

M. Petrus-Antonius Lepy.

M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hiſpaniarum Reginæ Medicus perpetuo ordinarius.

M. Guillelmus de Magny.

M. Elias Col de Vilars, Chirurgiæ Profeſſor deſignatus Regis Conſiliarius & in Caſtello Medicus ordinarius.

M. Jacobus Trant, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Gabriel-Antonius Jacques.

M. Henricus Beſnier.

Proponebat Pariſiis JACOBUS-FRANCISCUS VANDERMONDE, Landracenus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.